

Christian Ehrenfried Eschenbach

**Programma Natalitivm, Qvo Ad Celebrandvm Devote Nati Servatoris Mvndi
Festvm Vniversitatis Rostochiensis Cives Honoratissimos Omnes Ac Singvlos
Invitat, Atqve Pvnctvm Medico-Legale, Ad Infanticidivm Spectans**

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1774?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn87767177X>

Druck Freier  Zugang





J. 512.
1774. Weihn.

~~M-1256. 416.~~

Wachs. 1774.

PROGRAMMA NATALITIVM,

QVO

AD CELEBRANDVM

DEVOTE

NATI SERVATORIS MVNDI
FESTVM

VNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

CIVES HONORATISSIMOS OMNES AC SINGVLOS

INVITAT,

ATQVE

PVNCTVM MEDICO-LEGALE,

AD INFANTICIDIVM SPECTANS,

BREVIBVS ILLUSTRAT,

EIVSDEM VNIVERSITATIS

HODIE

RECTOR

CHRISTIANVS EHRENFRIED ESCHENBACH,

MED. PROF.



ROSTOCHII,

LITTERIS ADLERIANIS.

M. 1256 416

PROGRAMMA NATALITIVM

1870

AD CELEBRANDVM

DEYVM

NATI SERVATORIS MANDI

FESTVM

VNIERSITATIS ROSTOCHENSIS

CIVES HONORATISSIMOS OMNES AC SINGULOS

INVITAT

AD

PVNCTVM MEDIC-LEGALE

AD INFANTICIDIVM SPECTANS

BREVIVS ILLVSTRAT

EIVSDEM VNIERSITATIS

NOTVS

P R O T O R

CHRISTIANVS EHRENFRIED ESCHENBACH


MED. PROR.



ROSTOCHI

LITTERIS ADELIANIS

Handwritten numbers and scribbles in the bottom right corner.



Infanticidium, cujus pertractatio ad medicinam spectat legalem, plus una ratione committi, constat. Non autem animus mihi jam est, singula illius genera percurrere. De solo potius eo pauca afferam, quae neonati in aquam immersione perficitur, momenta quaedam de pulmone natante adjiciens. Ab omni scilicet tempore medici operam navarunt, quam potuerunt, maximam, ut media reperirent, detegendo infanti vivo excluso idonea. Celebris, hoc respectu, prae caeteris, est *pulmo* recens nati aquae immissus, eidemque vel *supernatans*, vel in illa ipsa *fundum petens*. Prior in specie, ceu indicium, respirasse infantem extra uterum maternum, consideratur, adeoque pro indicio foetus vivi exclusi indubio assumitur: cum et infanticida neonato, debili forte, spiritum in ore inflasse, haud praesumatur, ac, omni casu, ejusmodi factum indagandum judici civili relinquatur; et putredo gravior, pulmonem sistens pari modo natantem, signis sibi propriis abunde pateat: ac denique ab auctoribus nonnullis in contrarium adducta argumenta resolvi se patiuntur. Totum quoque experimentum

OHRI



aëri, durante respiratione per tracheam in pulmonem irruenti, huncque extendenti; nec deinde unquam iterum aufugienti penitus, debetur.

Vita quidem fruitum esse infantem, declarat quoque *fugillatio*, in quadam corpusculi regione obvia; quae scilicet mortuo nulli evenit homini. Verum et *fugillatio* gravior regulariter laesionem manifestam accedentem, notisque suis conspicuam, testatur, hac igitur deficiente non adest. Ac lenior eadem, quam forte infans; a matre, recta stante, partu exclusus faciliori, et funiculo umbilicali simul vel disrupto, vel propter longitudinem eousque cedente; in terram duriorum pronocapite delapsus, speciatim in vertice monstrat, partim non occurrit facile, quoties genibus flexis innititur parturiens: partim post aliquod temporis intervallum, a morte peractum, nonnunquam evanescit; hujus certe resorptionis in demortuis, in ipsa vena Cava, hinc et alibi in corpore, haud plane impossibilis, exemplum notabile refert HARVEVS, annotante DE HAEN, Tract. *de submersis*, edit. germ. pag. 156. Quamobrem istud vitae actae signum, tanquam particulare considerandum taleque est, cujus defectus nil derogat pulmonis natantis valori. Quaevis adhuc *fugillatio*, ne graviori quidem excepta, in ipso partu, adeoque antequam natus est, et respiravit infans, hinc citra hominis ullius culpam, aliquando, advenit; cujusmodi casum notabiliorem observavi in infante, qui, vivus exclusus, tantum, durante partu, expertus erat compressionem, ut propter colorem cutis rotius obscurum, inde ortum, infantem natum declararent aethiopem mulierculae adstantes, ope interim adhibita, sanitati restitutus completae.

Porro huc spectant *vasa pulmonis sanguifera dilatata*, et sanguine referta. Sanguinis namque circulus per pulmones talis, qualis est in adultis, in infante non nisi post inchoatam respirationem locum habet: quare vasorum pulmonalium dilatatio, dilatationis vesicularum, pulmonem componentium, ab aëre irruente factae, est consequens adeo inseparabile, ut, ponendo pulmonem a respiratione peracta natantem, eo ipso, et necessario,



sario, ponantur etiam vasa pulmonalia dilatata et sanguine plena: Atque si, non obstante HALLERIANO effato, *Elem. Physiol. Tom. III. pag. 279* „quod unica saepe inspiratio pulmoni dilatando sufficiat“ cum aliis auctoribus nonnullis assumere velimus, aërem pro incipienda respiratione non semper primo impetu totum distendere pulmonem, a muco, bronchia plus solito replente, aliamvè ob rem, impeditum; hac enim ratione pulmo, pro parte natans, pro parte fundum petens, ab iisdem explicatur; concedere tamen cogimur simul, quod, in tali casu, vasa etiam pulmonalia, saltem pro vesicularum pulmonis distentiarum quantitate, dilatentur, atque novo sanguini recipiendo, proportionem habitam, reddantur idonea.

E quibus singulis tandem sequitur, ut experimentum cum pulmone natante factum; exceptis utique inflatu ac putredine; adeo sit vitam neonati declarantium signorum principale, ut vel *ipsi fides habenda sit*, vel fatendum, quod neonati vitam actualem medica principia eruere atque stabilire, in usum medico-legalem, omnino nesciant: cum praesens forte fugillatio, itemque color pulmonis, huc etiam referendus, itidemque distensionis vesicularum pulmonalium, factae ab aëre irruente, consequens, majori adhuc contradictioni sint obnoxia, ipsisque revera pulmo natans accedens certitudinem addat. Interim et, facile patet, a solo in specie pulmone natante ut ad infanticidium mox concludatur, haud licere.

Eidem experimento instituendo dicari, praeter aquam frigidam, adeoque in statu consueto et naturali constitutam, et adhiberi solitam, calidam quoque, aut tepidam, vid. e. g. IOACH. SCHÖPFER. *Diss. de pulmone infantis natante etc. in Praef. auctoribus placet quibusdam*. Hujus vero adhibendae utilitatem majorem ego quidem perspicio nullam. Aqua calida differt a frigida in eo, quod illi sese junxerint particulae igneae, in hac deficientes. Atque eae ipsae, aqua specificè leviores partim, partim expandendo aërem, in aqua detentum, virtutem suam atque vim exerentes: quemadmodum pulmoni, in aqua per se spectata, id est, frigida, fundum petenti, descensum hunc



in calida, minime vetant; sic, tantum abest, ut pulmone, in frigida supernatanti aqua, gravitatem addant, hinc eius in calida submersioni ansam praebeant; ut potius, expandentes aërem quoque, in pulmonis vesiculis residuum, levitatem pulmonis augeant, hinc faciliori supernatationi favcant, in aqua sive calida, sive tepida. Ac, posito eo, quod aqua calida pulmonis aut supernatationem aut descensum, alias succedentem, vetaret, experimenti tamen fides exinde nullo infringitur modo: ab omni nimirum retro tempore quaestio nullatenus fuit de pulmone in aqua calida aut tepida, sed in aqua generatim, sive in aqua, qualis ubique reperitur, id est, frigida, vel supernatante vel fundum petente.

Quantitatem aquae in explorando pulmone, sive natante, sive fundum petente, sufficientem urget auctor quidem in AMMANN. *Prax. Vuln. Leth.* p. 423. adductus. Verum enim vero, medicorum nemo, quod *ibid.* summo cum jure additur, ejusmodi momenti experimentum instituendum in se suscipiet, nec tantum aquae adhibebit, quantum requiritur, ut vel pulmonis submersi descensus indubie pateat, vel, contra ea, idem revera supernatans, conspiciatur evidenter.

Hominem vivum, post lapsum in aquam, in ista *respirationem*, licet imbecilliozem, *continuare aliquamdiu*, exempla eorum loquuntur, qui post aliquam sub aqua moram, mortuis simillimi, ex illa protrahuntur, tandemque ad se redeunt. Vitae namque conservatio, in iis facta, nulla datur; absque *respiratione*, itidem persistente; adeoque, hac ultima sub undis semel sublata, nullus superest in vitam regressus: prouti in *Commentatiuncula* speciali, haud ita pridem germanice edita, monstravi; ac praeterea, ratione et experientia praeceuntibus, unicuique constar.

Verum et quemlibet hominem submersum, durante adhuc vita, in inspirationis nisu aquae simul *attrahere*, trachea mediante, *portiuunculam*, cum aliis auctoribus recentissimis, defendunt chirurgi duo Galli, CHAMPEAUX ET FAISOLE nominati,



minati, quorum Tractatus, causam mortis submerforum explicans, apparuit germanice versus. Hi ipsi ideo viri affirmant, in singulorum, aqua submerforum, pulmonibus inhabitare *mucum spumofum*, ex aqua inspirata et mucos, in bronchiis naturaliter praesente compositum, qui, manu comprimendo pulmonem ejusmodi, sectione protractum, et cultro vulneratum secante, ex ejusdem substantia manifesto eliciatur: atque mucum hunc spumofum, e pulmone dicta ratione compresso prodeuntem, pro signo et infallibili et praecipuo declarant, hominem revera vivum esse submersum; istud adhuc experimentum, vicibus repetitis, in canibus, ac inter eos molossis, itemque in felibus institutum, semper, quin etiam post diutinam putrefactionem, e voto successisse, perhibent: addentes interim, phaenomeni fidem a medicis conterraneis nonnullis in dubium esse vocatam.

Experimentum succedere, nonnunquam saltem, in canibus aliisque ejusmodi animantibus brutis, novissimus DE HAENNI Tract. *de submersis* comprobat, qui scilicet auctor parilia instituit experimenta, atque fluidum revera inspiratum in tredecim observavit canibus, in aqua, atramento tincta, submersis. Vid. *ibid. edit. germ. pag. 29. 30.* Dicta interim experimenta, aquam necessario inspiratam, ab homine etiam submerso quovis, ac in specie ab infante neo-nato submerso quolibet; hincque reperiendum semper in eorundem pulmonibus mucum spumofum praedictum; minime evincunt adeo, ut, *pro scopo medico-legali*, mucus iste quaerendus sit necessario, atque, inconcusso argumentandi robore, a defectu mucii illius pulmonalis ad hominem, itemque ad neo-natum, ante demersionem mortuum, concludere liceat.

Primo enim, *ab experimentis in brutis factis* sicque observatis phaenomenis, *generatim* ad similes, in homine subsumendos, *eventus non valet consequentia*, quamprimum scilicet corporis animalis *facultas* quaedam *activa* concurrat. Animalia nimirum bruta, experientia teste, partium corporis structura potissimum interna, earumque pendentibus inde facultatibus
activis,



activis, multis modis differunt ab humani corporis partibus, licet eadem partes similitudinem haud raro externam cum hisce prae se ferant. Atque iudex civilis, monente AMMANNO, *loc. cit.* pag. 121 „non postulat a medico sententiam super lethali- tate in molosso aut bucephalo“ quia scilicet in legali medicina non nisi de hominis vita agitur. Hanc quoque ob causam ab effectu submersionis isto in canibus felibusque, ad similem plane in *adulto* homine submerso effectum, hinc ad mucum commemoratum spumosum, ex necessitate in pulmone humano praesentem, conclusio formari nequit, propter concurrentem respirationem, quae, ceu facultas corporis animalis manifeste activa, minime est plane eadem in homine, ac in bruto. Canis nempe, id quod in venatico est manifestissimum, cursu adeo veloci procedit, ut homo eum hac in re imitari nullatenus valeat; ejusmodi vero cursum supponere, etiam respirandi facultatem ea, quae homini data est, longe majorem, facile apparet; praeterea canis, cum vulnere mediastini eo, quod hominem extemplo jugular, per aliquod temporis spatium supervivit, perhibentibus id auctoribus; quod itidem valentioris respirationis indicium praebet. Et, quoad feles, ii a locis admodum altis, e. g. a tignis aedium, in terram durissimam decedentes, vitam non deponunt, cum homini idem absque vitae dispendio non contingat; ad ejusmodi vero casum innoxium, quin respiratio quoque potentior suam conferat symbolum aliqualem, dubium haud adest ullum.

Praeterea nec deficiunt medici, inspiratum in submersis humorem negantes, e quorum numero sunt, WALDSCHMIDTUS, WEPFERS, SENACUS, ab ipso DE HAEN. *loc. cit.* pag. 142. hunc in finem adducti: quorum auctorum sententia id evincit ad minimum, in homine submerso aquam inspiratam, hinc et mucum spumidam, *interdum non inveniri*: quod ad negandam mucii istius praesentiam *absolute necessariam* sufficit; quam ob rem adhuc submersorum exempla, in auctoribus passim obvia, in quibus hi de humore ejusmodi reperto silent, jam praetereuntur. Quin etiam dictus DE HAEN partim in duobus canibus submersis signa inspirati liquoris non invenit



venit, vid. *loc. cit.* pag. 30, partim in *fine opusculi* pag. 160. addit, se minus curaturum esse observanda in dissectis hominibus submersis, quorum scilicet mortuorum corporibus a variis auxiliorum generibus, adhiberi, utur absque effectu, solitis mutatio aliqua advenit; quam quae in canibus submersis, et mox a morte cultro subjectis anatomico, apparent: eo namque ipso diversitas quaedam inter utriusque generis cadavera tacite conceditur.

Adhaec, *infans neonatus* circulationis sanguinis, adminicula extraordinaria, *foramen scilicet ovale et canalem arteriosum*, possidet. Cumque nemo determinare valeat, quemnam praecise influxum, pendens inde circulationis in pulmonibus inter hominem aduatum et recens natum diversitas, in vitam et respirationem neonati, respectu submersionis, agnoscat; cum influxus omnis negari nequeat; a mucro etiam spumoso, in canis e. g. submersi pulmone reperibili ad similem mucum in pulmone submersi infantis neonati conclusio, in casibus medico-legalibus, non nisi argumenta admitrentibus certa, infirmiori adhuc nititur fundamento, quam ratione hominis adulti; eoque saltem, donec factae in neonatis observationes (experimentis locum permitti nullum, sponte liquet) eaeque dubio omni orbae, certitudinem addant.

Et quoniam neonatum submersum infanticida nudum ordinarie in aquam projecit, una cum secundinis adhuc annexis interdum, sicque frigori simul nocivo eum exponat, de *frigoris* effectu in corpore humano vivo pauca addere liceat. Auctores tanquam consecretaria frigoris praecipua in iis, qui exinde moriuntur, considerant, perhibentque, quod in eorundem cadaveribus signa suffocatorum appareant partim, partim propter vasa cutis sanguifera contracta sanguis omnis ad viscera propellatur, post mortem maximas praesertim corporis venas, e. g. Cavam, extraordinarie, tum et cerebri vasa, replens distendensque. Verum enim vero, eadem prorsus consecretaria, quae in suffocatis observantur, in frigore necatis adesse nequeunt,

B

queunt,



queunt, sed utriusque mortis genus non potest non diversis pro parte effectibus notari. Constat namque per experientiam, eos, qui frigore pereunt, respirationem et sanguinis circulum non nisi pedetentim deponere; mortem praecedentibus, sub initium lassitudine totius corporis maxima, ac deinde somnolentia nullo modo coërcenda, quemadmodum ejusmodi homines, e mortis faucibus, auxilio satis tempestive lato, erepti consistunt: cum e contrario suffocatis e. g. laquei ope, respiratio violentia subita, et simul ac semel dematur, id quod alios omnino effectus necessario edit, hinc signis aliis patescit.

Quodque attinet in specie ad *venarum corporis maximarum* (addatur, si placet, arteriarum etiam quarundam) *repletionem* solito majorem a sanguine, sive congesto copiosius, sive simul spissiore (hac ultima adhuc sanguinis conditione mutata, si lubet, adjecta) ista etiam pro signo specifico necatorum frigore haberi nequit, quoniam, quae frigus, hoc respectu, relinquit consecutaria, interveniente spasmō, eodemque primum in extremitatibus corporis sese manifestante, postea universali, contingunt. Idem vero spasmus ex alio adhuc fonte accedere potest, evenitque révera, absque ullo frigore externo concurrente, in moribundis haud paucis, iisque in lecto decumbentibus, et aliquando manifestissimus observatur, plane similes necessario effectus post se trahens.

Quodsi quis regerat, frigore jugulatum hominem, ac imprimis in aëre libero mortuum repertum, differre ab alio quocunque, in lecto animam efflante, tam *rigiditate corporis* universali, quam ipso, quo reperitur *loco*, qui ordinarie est, vel via publica, vel locus a domiciliis hominum, eorumque consortio frequentiori remotior, ac simul aëri gelido liberiori expositus; responderi potest, quod rigiditas ista evanescat, quoties mitior tempestas regelationem inducit, antequam gelu necatus detegitur; quodque, ex eodem fundamento, *locus* etiam, quo *neonatus submersus invenitur*, id est, aqua, in computationem venire debeat.



debeat, cui tamen (num jure meritoque fiat, an secus, jam non determino) auctores passim contradicunt.

Tandem et in *apoplecticis* vasorum cerebri solito major, a sanguine copiosius illuc delato, occurrit repletio, inque *pectoris morbis* idem evenit pectoris vasis sanguiferis, prouti auctorum observationes testantur: quare id etiam hominis frigore necati signum constituere nequit proprium. Possibile namque est, ut iste e. g. apoplexia corripiatur, a frigore nondum ullo modo laesus: quo assumpto, in eodem homine et jam ante mortem, eaque haud tanquam frigoris, sed potius tanquam apoplexiae, effectus, adfuit vasorum repletio, et post mortem demum a frigore congelatio accedit,

Norandum adhuc, quum unicuique homini, quovis momento mori, datum sit; fieri quoque posse, ut infans vivus natus, *immediate post exclusionem naturali morte extinguatur*, adeoque et id ipsum eidem contingat, antequam infanticida ei vim infert, alias lethalem. Ponamus jam casum hunc, quod mater parturiens infantem enitatur vivum in aëre libero brumali, eumque brevi deinde in aquam projiciat vicinam, quamprimum nimirum ista a partus labore eousque ad se rediit; quod vero animam jamjam reddiderit, durante hoc intervallo brevi, infans, sive naturali quadam imbecillitate solito majori accedente, sive frigoris injuria, sive causis tandem ambabus combinatis. Quoniam mortis hujus intervenientis, aut revera naturalis, aut, si placet, naturalis dicendae, nulla dantur in cadavere signa residua; submersi enim infantis vivi notae, ab auctoribus allatae, imprimis mucus pulmonalis, secundum antecedentia, adeo nondum sunt, ac quidem nonnulli perhibent, certae: indagandum ejusmodi factum a medico jure meritoque postulari nequit, sed judici potius civili relinquitur; pariter ac resolutio quaestionis: Estne mater, aequali modo, mortis neonati causa principalis, sive vivum submerferit infantem, sive eundem antea perire siverit frigore; si casui addatur, quod infantem illa fuerit enixa in vicinia domus cujusdam habitatae,



ad quam confugiendi occasio erat facillima, idque tempore diurno, et focia muliere aliqua adstante?

Ultimo loco et hoc moneam. *Medicinae meae Legal.* §. 293. neonatos submersos suffocatis, a quibus in discursu praesenti subdistinguntur, absque ulla restrictione adscripsi ipse: atque ex hoc fundamento, „eorundem quoque asperam arteriam, post institutam cadaveris sectionem, inveniri sero et „muco spumoso repleta; pulmones ob stagnantem in illis sanguinem livere; ac faciem et collum una cum venis turgidis „tumere, cum aliquali colore fusco“ asserui. Haec vero ex aliis auctoribus medico-legalibus, ac speciatim e TEICHMEYERRO, desumpta, corrigenda esse, saltem limitanda, postmodum cognovi. Cumque ab anno impressionis libri, qui erat 1746. hucusque alia quaedam editio non prodierit, hinc propria potius cogitata proferendi occasio mihi defuerit; atque summa, quae in Compendio ubivis apparet, thesium brevitatem adjiciendam limitationem, hinc inde necessariam forte, exclusit; jam, ad exemplum aliorum quoque auctorum nonnullorum, quodque ipse jamjam, quoad pulmonem natantem, in *Observationibus meis rarior.* Obs, XXII. feci, annotare istud volui.

Qua occasione simul ejusdem *Med. Legal.* §o. 261. qui de *tempore partus legitimo* agit, ulterioris explicationis sine, jam addam; quod verba, *ibid.* legenda, hunc minime habeant sensum, quod infans brevi ante absolutam graviditatis hebdomadem quadragesimam exclusus, hinc infans e. g. *trigesima octava* graviditatis septimana, quin etiam eadem nondum penitus peracta natus, adeo inter praematueros sit referendus simpliciter, ut, in casu infanticidii, sola haec circumstantia caeteris omnibus anteponi mereatur.

Verum omnino est, quod, si completus graviditatis hebdomadam numerus absolute ponatur quadragesimus, dubio procul infans, ante peractas easdem exclusus, sit praematurus, ac per consequens debito corporis robore orbatus, si vel unicus dies termino deficiat. Quodsi autem experientiam consulamus



fulamus obstetriciam, non solum nati ejusdem complementi infantes, corporis robore et volumine, ac, quae hoc ultimum sequitur, ponderis gravitate, mirum quantum a se invicem diversi conspiciuntur, pari modo ac id ipsum respectu hominum adultorum, observatur; sed etiam infans, trigesima octava graviditatis septimana exclusus, alterum, eumque terminum graviditatis consuetum nascendo explentem, corporis interdum robore, magnitudine, hinc et pondere, antecellit; adeoque optime supervivit ille, dummodo ipsi suppetias debitas ferat mater: id quod eo certius evenit, cum septimestris foetus, illo, absque dubio, tenerior longe atque debilior, cura accedente apta, superstes maneat; quae e contrario cura, si deficiat, ipse infans maturus quilibet, id est, qui hebdomades quadraginta in utero materno complevit, vitam modo inchoatam brevi deponere cogitur.


Accedit, quod, eadem experientia teste, et terminus quadraginta hebdomadum in quamplurimis gravidis accuratissime haud sit determinandus, quoniam in calculando impregnationis momento commissu facillimus error est; et partus hicce terminus, alias consuetus, omnem a regula exceptionem, adeoque duarum septimanarum, aut excessum aut defectum, minime excludat penitus; hinc infans trigesima octava graviditatis septimana, imo et eadem nondum completa, in lucem editus, sub circumstantiis plurimis, dici maturus queat, salva de partus termino legitimo doctrina. Certe LUDWIG, *Instit. Med. For.* §. 104. haec habet: „Trigesima octava hebdomade absoluta, foetus maturus edi potest.“ Atque infantis memini, in urbe nostra, ante annos aliquot, maturi, post completas nimirum graviditatis septimanas quadraginta, aet mortui, nati, tantoque corporis volumine insolito dotati; ut, ulnam, haec loci consuetam, una cum quarta ejus parte longus, quatuordecim libras Rostochienses pondere adhuc superaret: quum alias, teste BÜTTNERO, *libr. de Infanticidio*, §. 26. una cum corporis longitudine, tres quartas ulnae unius partes aequante, librae sex infanti declarando maturo sufficient; eoque





eoque ipso pateat, quod, quoniam sex ad minimum librarum pondus cum longitudine descripta cohaeret, ponenda longitudinem hanc, ponatur simul pondus dictum; atque sic foetus vel una, vel utraque ratione, declaretur maturus. Pari modo, ac infans neonatus, ratione corporis, *perfectus* generatim nuncupatus, eo ipso intelligitur, quoad singulas corpusculi partes, capillos, ungues etc. *perfectus*, pro ratione scilicet aetatis, etiamsi hae partes, earundem perfectionis rependendae gratia, non enumerentur singula simul. Mater infantis dicti, quae procerioris paulo staturae erat, ante filium huncce, alios pepererat, consuetae magnitudinis, liberos. Hic igitur infans, si praematurus summe, adeoque mensis septimi graviditatis initio, vivus fuisset exclusus, propter corpusculi molem, imperfectis certe atque praematuris non amplius annumerari potuisset, quamvis secundum dogmata medico-legalia talis.


Supereſt, ut ad primarium ſcribendi ſcopum properem. Eccleſia noſtra feſtum nati Servatoris mundi celebrans, eo fine iſtud celebrandum conſtituit atque imperavit, ut, verbis et factis, quilibet, ipſi adſcriptus, beneficiorum divinatorum aequus aeſtimator, grates perſolvat debitas humillimasque DEO omnipotenti, quod mundum adeo dilexerit, ut ipſi miſerit filium ſuum Unigenitum, reſtituendae pacis ſcopo, propter peccatum a Protoplaſtis in paradifo commiſſum deperditae; ſicque miſericordiam ſuam ineffabilem, nec ullo intellectu humano concipiendam, generi teſtatus fuerit humano: utque publice et laus et honor parentur Filio huic, qui, pro hominum ſalute, verus homo naſcendus, descendit e coelo, quod ante rerum initia poſſidebat, ipſe DEVS ſupra omnes, benedictus in ſecula. Vivamus itaque et nos, Cives Optimi! hoc tempore feſtivo, vitam, et mores componamus noſtros ea ratione, ut iisdem, purioris Eccleſiae membrs dignis, ſingulis concivibus noſtris praeluceamus.

P. P. SVB SIGILLO RECTORATVS,
FER. I. NATIV. 1774.












venit, vid. *loc. cit.* pag. 30, partim in *fine opusculi* pag. 160. addit, se minus curaturum esse observanda in dissectis hominibus submersis, quorum scilicet mortuorum corporibus a variis auxiliorum generibus, adhiberi, utut absque effectu, solitis mutatio aliqua advenit; quam quae in canibus submersis, et mox a morte cultro subjectis anatomico, apparent: eo namque ipso diversitas quaedam inter utriusque generis cadavera tacite conceditur.

Adhaec, *infans neonatus* circulationis sanguinis, adminicula extraordinaria, *foramen* scilicet *ovale* et *canalem arteriosum*, possidet. Cumque nemo determinare valeat, quemnam praecise influxum, pendens inde circulationis in pulmonibus inter hominem adultum et recens natum diversitas, in vitam et respirationem neonati, respectu submersionis, agnoscat; cum influxus omnis negari nequeat; a muco etiam spumoso, in canis e. g. submersi pulmone reperibili ad similem mucum in pulmone submersi infantis neonati conclusio, in casibus medico-legalibus, non nisi argumenta admittentibus certa, infirmiori adhuc nititur fundamento, quam ratione hominis adulti; eoque saltem, donec factae in neonatis observationes. (experimentis locum permitti nullum, sponte liquet) eaeque dubio omni orbae, certitudinem addant.

Et quoniam neonatum submersum infanticida nudum ordinarie in aquam projecit, una cum secundinis adhuc annexis interdum, sicque frigori simul nocivo eum exponat, de *frigoris* effectu in corpore humano vivo pauca addere liceat. Auctores tanquam consecraria frigoris praecipua in iis, qui exinde moriuntur, considerant, perhibentque, quod in eorundem cadaveribus signa suffocatorum appareant partim, partim propter vasa cutis sanguifera contracta sanguis omnis ad viscera propellatur, post mortem maximas praesertim corporis venas, e. g. Cavam, extraordinarie, tum et cerebri vasa, replens distendensque. Verum enim vero, eadem prorsus consecraria quae in suffocatis observantur, in frigore necatis adesse nequeunt

B

queunt



the scale towards document